

3

- 1 Scrutinium religionem Hier. k 200 p. 121.
- 2 de Autoritate S. Scra. et numero librorum canonorum V. Sti. G. Calixti. 654.
- 3 de autoritate antiquitatis Ecclesie. G. Calixto  
proses Resp. M. Loh. Henricius. 639.
- 4 de S. Scra p̄fide & G. Calixto 637.
- 5 de Supremo iudicio liberum G. Calixto 661
- 6 de persona Christi programmata & differ-  
tationem facientur G. Calixti 663.
- 7 programmata in F. Sol. G. Calixti
- 8 de Sacrificio N. Ti in cruce p̄fide  
Fr. Ulr. Calixto 665,
- 9 Summa capiti relig. Chroia & corposodoci-  
na Iulio excerpta G. Calixti 661.
- 10 Discursus von den neuen Eftifl. religioz.  
inf instrumentis dogmatis summis Eftifl. perf. erigun-  
detur G. Calixto 652.
- 11 de providentia Dei praf. G. Calixto 635
- 12 Dei inefimilitas pf. M. I. Fr. summis l. 637.
- 13 Historia Magorum c. & Matth. G. Calixti 664
- 14 de primatu Rui Pont. G. Calixti & M. Hannover. 680.
- 15 de gratuita iustificatione. disp. inaugur. 680.
- 16 p̄fide G. Calixto, Resp. D. Gerh. Loh. Henricius. 680.
- 17 Kōffersum g. Calixt. ad ep. Landgravi Hassia. 651

- 18 *Responsū G. Calixti ad actionem quam  
publ. Valerianus Capucinus eis propter oppo-*  
*suerans Calixto.* 652
- 19 *Motiva a petro & Adr. de Wallenburg.  
configurata & animadversio[n]es & illa  
D. Gerd. Filiij.* 653
- 20 *programma I. Henrichij. I. G. Steuchin*
- 21 *propositio[n]es in eis Evangelij  
Gottmarijstede n. Delftwerde anno  
1669  
Leiden mense 1669*

Fürsprach 27 Schriften, darunter 19 von  
Georg Calixtus f. 142-11, 13-76, 19-21, 23v-24)

27

66



ass. Nr. 407.

Kromayer, H. A.

P.VII. 83.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-469362-p0005-4

DFG



DISPVVTATIO THEOLOGICA  
<sup>DE</sup>  
**SACRIFICIO N.T.**  
IN CRVCE PER-  
ACTO

QVAM  
A. D. O. M.

PRÆSIDE

**FRIDERICO VLRICO**  
**CALIXTO**

S. Theol. D. ejusdemque in Acad. Juliâ  
Pub. & Ord. Prof.

In Julco majore d. Martii,  
*publice disputandam*


*Proponet*

**SALOMON LENTZIUS**  
Burgensis Saxo.



*HELMESTADII,*  
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT  
HENNINGVS MULLERVS  
Acad. Typographus

*ANNO CIC 15 CLXV.*



**Σὺν τῷ Θεῷ**

**DE  
SACRIFICIO N.T. IN CRV.  
CE PER ACTO**

**THESIS L.**

Xtremæ servitutis quam pro nobis rerum omnium dominus subiit, & acerbissimæ mortis quam pro nobis autor vitæ sustinuit nunquam non meminisse nos oportet. Hoc tamen anni tempus peculiariter memoriam tanti mysterij sibi vendicat, quod & ab omni antiquitate ipsaque adeò infantiâ Ecclesiæ ita est observatum, & ratio ipsa ac natura rei postulat, ut quo tempore opus redemtionis nostræ factum fuit, eodem ius considerationem non minus sedulis quam pijs cogitationibus incumbamus.

II. Docet autem Evangelica historia quintum Pascha, τὸ σταυρωτικὸν καὶ αινάστημα, à Domino & Servatore nostro Iesu Christo celebratum quoque esse, ast non uno eodemque die quo à Iudeis, sed die à lege præstituto, quū Iudei secundum traditionem majorum & ex decreto Synedrij seriùs celebrarent, translato primo azymorum in sabbatum, quod immediate sequebatur, ne videlicet duo continua Sabbathata servare cogerentur. Ritus in isto solenni observari soliti, erant mactatio agni inter duas vesperas, qui deinde à discubentibus comestus. Cœnâ peractâ intercessit iterata lotio pedum, & hinc redditum

A 2

ad

ad discubitum & secundas mensas. In secundis mēn iis  
à patre familias, præcedente benedictione solemnis for-  
mulæ, distributus panis azymus & poculum, atque quum  
huc ventum esset, à Servatore Sanctissimum corporis &  
sanguinis sui Sacramentum est institutum. Inde dicto hy-  
mno, quod magnum Halleluja vocant, discessum.

III. Eadem verò nocte capitur Servator & Redem-  
tor noster, ad Annam & Caipham deducitur, illuditur ei,  
& postero mane ad Præsidem Judææ Pontium Pilatnm ad-  
ductus condemnatur & cruci affigitur sole meridiano; at-  
que ita Deo Patri pro universo genere mortali λύτερον per-  
solvit, & tradidit semetipsum victimam & sacrificium in  
odorem bonæ fragrantiaæ. Et ita quum præcedente ve-  
spera mactatus esset Agnus typicus, subsequuto meridie  
mactatus est Agnus verus, qui sacrificio in ara crucis ob-  
lato expiavit peccata totius mundi. Ita consummatæ &  
completæ sunt omnes Veteris Testamenti figuræ. Hujus  
enim perfectissimi & absolutissimi sacrificij typi fuere  
quæcunque sacrificia in populo Dei jam inde à condito  
mundo oblata sunt. Hujus sacrificij typus fuit Isaac, à  
patre suo Abrahamo jussu Divino sacrificandus, ipse per-  
gens ad locum supplicij, montem adscendens & bajulans  
ligna, quorum futurus usus. Hujus denique sacrificij  
typi fuere omnia sacrificia Levitica, quorum sanguine  
templi primi & secundi parietes semper maduere. Non  
igitur abs re facturi videmur, si hæc sacrificia conside-  
remus, & hoc præsertim tempore, quo memoriam in a-  
rà crucis oblati sacrificij grato animo recolit Ecclesia, de  
hoc nostro Novo Testamento proprio sacrificio agamus,  
& quæ circa illud observanda veniunt insuper non ha-  
beamus. Quantum itaq; in nobis erit, & Deus esse vo-  
let, rem in compendium redactam breviter exponere co-  
nabi-



nabimur; qui conatus ne frustra sint, à Deo opem & auxilium supplices postulamus.

IV. Deum non tantum esse habendum, verum eundem quoque colendum norunt omnes homines etiam extra Ecclesiam rectæ rationis ductu & luminis naturæ beneficio. Modus autem cultus haud item naturaliter est notus, sed quomodo colendus sit, vix aliunde quam per peculiaris modi revelationem innotescit. Sacrificia igitur ad cultum Divinum quum specent, etiam hujus cultus ratio, haud aliunde quam è peculiaris modi revelatione Divinâ accersi poterit. Sacrificia enim quum sint res ex se indifferentes, quorum materia corpori nutriendo apta nata, Deus autem essentiâ spiritualis, neque corpus habeat neque ullus nutrimenti sit indigus, rerum corporearum sive animatarum sive inanimatarum oblationem, ad cultum Deo gratum præstandum facere è nullo principio naturali noto deduci aut probari potest. Imò si infinitam perfectionem Divinæ naturæ & essentiæ, qualis etiam citra revelationem è lumine naturæ iannotescit, æstimemus, cultus qualis æterno rerum omnium creatori & totius universi & quæ in eo sunt Domino, oblatis externis sensibilibus victimis sive sacrificijs exhibetur, rectæ rationi adversari potius quam ei conformis esse videtur. Quemadmodum enim ratio sibi relicta, Deum spiritum esse non corpus, adeoque ad mentem pertinere atque intelligentum novit, ita etiam intellectu non corporeis & sensibilibus hostijs colendum esse, penetrare haud difficulter poterit. Hinc ille apud Poëtam,

*Non bove mactato, ait, caelestia Numinia gaudent,  
Sed quæ præstanda est vel sine teste fide.*

A 3

V. Cæ-



V. Quandoquidem itaque tota ratio oblationum & sacrificiorum & quicquid nobis de ijs innotescit ab institutione & revelatione Divinâ pendet, hinc ultrò sequitur, ex eadē revelatione, sive quod hodie idem est, ex Scripturâ hauriendum esse, quidnam sit quod sacrificijs nomine veniat & appellari debeat. Vocabulū autem quo utitur Scriptura קבבּ est, & quando propriè capit, vel animal quoddam quod mactatur & occiditur, vel ipsam mactationem sive occisionem semper significat. Unde porrò colligitur, ipsum illud quod sacrificatur, sive materiam sacrificij, rem esse vivam & animatam, quæ hostia dicitur aut victima, & quando destinata est mactationi, & quando jam est mactata: sacrificium verò formaliter sive pro actione sacrificandi sumptum esse ipsam illam actionem, quâ animal vivum in mortem traditur vel vitâ privatur, quicquid tandem de eo, postquam occisum est, fiat.

VI. Quum autem alia postquam essent mactata tota comburerentur, alia non tota sed ex parte, hinc nata distinctio inter Holocausta quæ tota cremabantur, & ea quæ non tota cremabantur, Propitiatoria videlicet & Pacifica seu Eucharistica. Atque sic Veteris Testamenti Sacrificiorum propriè dictorum, triplicem fuisse differentiam colligimus.

VII. Quod Holocaustum Græcis, Hebræis Adscensio dicitur, quia per ignem sursum mittebatur. Fuit autem etiam hoc Sacrificio in dupli differentia, aliud quotidianum aliud solenne. Holocaustorum quotidianorum alterum summo mane offerebatur, alterum inter duas vesperas. Materia eorum sive objectum circa quod, erant agni anniculi bini, quorum unus matutino alter yespertino sacrificio destinatus. Absolvebatur

tur



tur autem hæc oblatio non nisi per occisionem, ita quidem ut mactarentur, in partes secentur, crura & intestina lavarentur, & sic cuncta altari imposita igni exurenda traderentur, quemadmodum res gesta commemoratur Levitici primo. E quibus haud difficulter colligere licet, esse occisionem de essentiâ hujus sacrificij, nec verum, tale scilicet quale hoc sacrificium, esse, nisi animal vivum per mactationem vitâ privetur. Holocaustum Solenne proprium erat Sabbatis, novilunijs & festis. Per hoc tamen holocaustum quotidianum sive juge sacrificium non tollebatur nec cessabat, sed duplicabatur potius & haud modicis accessionibus, Propitiatoriis nempe, sive Expiatorijs amplificabatur.

IX. Hæc ipsa verò Propitiatoria sive Expiatoria. Sacrificia siebant pro delicto & pro peccato. Unde aliquam inter delictum & peccatum differentiam fuisse colligimus, & evincunt hoc ipsum verba quæ leguntur Levit. VII. 7. *Sicut hostia pro peccato, sic hostia pro delicto, eadem illis lex esto*; i.e. idem ritus servabitur in hostiâ pro delicto, qui observatur in hostiâ pro peccato. Fuit igitur aliqua inter peccatum & delictum differentia, licet qualis illa fuerit, vix forte sciri hodie possit. Docemur Levitici capite IV, V & VI, alia Sacrificia facta pro peccatis per ignorantiam & errorem commissis, alia pro peccatis voluntarijs, sive quæ deliberatè perpetrarentur. Vocabulis igitur *Peccati* & *Delicti* distinxere fortassis voluntaria, ab ijs quæ ex ignorantia committebantur, & pravis concupiscentiæ motibus quales etiam in ipsis obrepunt. Quam B. Augustini conjecturam fuisse colligimus ex ijs quæ leguntur Quæst. super Leviticum vigesimâ, Potest, inquit, videri illud esse delictum quod imprudenter, i.e. ignorantiter, illud peccatum quod ab sciente committitur. — Sed sive illæ  
sive



fueista, sive alia aliqua differentia sit peccati & delicti, nisi aliqua esset, non Scriptura ita loqueretur. Indifferenter autem plerumq; dicuntur, & peccatum nomine delicti, & delictum nomine peccati appellatur.

X. Reliquum est ut de Sacrificijs Pacificis pauca adjiciamus. Fuerunt illa vel Eucharistica, vel Spontanea & Votiva. Eucharistica, Sacrificia laudis & gratiarum actionis dicebantur, atque offerebantur pro beneficijs acceptis. Spontanea verò & Votiva pro impetrandis. Victimæ erant boves, oves & capræ. Quātumvis autem talia Sacrificia non fuerint Holocausta, sed certæ partes saltem comburerentur, reliquæ cederent partim in Sacerdotum, partim in offerentium usum, quibus epulum inde instruere fas erat, non magis tamen hæc quam Holocausta citra mactationem & animalis viventis occisionem confici & peragi potuerunt. Ex ijs igitur quæ de propriè dictis V. Testamenti Sacrificijs paucis hactenus commemorata sunt liquidò constat, verum & proprium Sacrificium non esse in quo animal vivum vitâ non privetur, adeoque occisionem esse de formali & intrinsecâ veri proprieque dicti Sacrificij ratione.

XI. Verūm obstare videtur quod etiam res inanimatæ tam liquidæ quam aridæ, quæ ut vitæ expertes ita cā privari & occidi non potuerunt, Deo in sacrificium oblatæ legantur Exodi xxix & Numer. xxii ix atque alibi. Talia sacrificia Minhæ & Libamina dicebantur. Minhæ siebat è similâ mistâ cum oleo tuso: simila confecta erat è purissimâ farinâ ad mensuram decimæ partis Ephæ; oleum verò quarta pars Hinis erat. Ephæ & Hin fuerunt mensuræ, Ephæ aridorum Hin liquidorum, quorum tamen quantitatem nos scire non possumus. Libamen erat vinum, quantum caperet quarta pars Hinis. Quanquam

quam verò in hisce oblationibus nulla fuerit viventis  
mactatio , fuisse tamen sacrificia negari haud poterit a.  
deoque falsum fuerit occisionem viventis esse de formali  
& intrinsecā ratione omnium sacrificiorum. Observan-  
dum igitur vocem sacrificij multas & varias sustinere si-  
gnificationes , atque simpliciter prolatam intelligi quo-  
que posse de oblationibus quæ non sint vera & propriè  
dicta sacrificia. Ita verò cum Minha & Libamine com-  
paratum fuisse docemur Numerorum xxix, ubi crebro  
memorantur Holocausta eum Minhis & Libaminibus suis:  
unde non male colligimus non fuisse sacrificia propriè  
dicta, sed potius additamenta & veluti appendices sacri-  
ficiorum præsertim Holocaustorum. Inter ista addita-  
menta sacrificijs propriè dictis vel præmissa vel an-  
nexa referri quoque poterit , quod singulis matutinis  
& vesperis oblato Holocausto, suffitus & thymiana in a-  
ra adolebatur. Adolebit super illud altare suffitus *Aharon*  
*suffimentum aromatum singulis matutinis : quando abtabit lu-*  
*cernas, tum adolebit illud. Similiter quando incendet lucer-*  
*nas inter duas vesperas , adolebit illud suffimentum jugiter*  
*coram Domino per generationes vestras.* Exodi xxx, 7. Huc  
quoque pertinent, placentæ fermentatæ, oleo mixtæ &  
unctæ, atque panis fermentatus, sacrificiis laudis & grati-  
arum actionis jungi solitus.

XII. Præterea probaturi Pontificij ad verum &  
proprium sacrificium non requiri viventis mactationem  
sive occisionem , ad Levitici caput xvi configiunt,  
cujus versu 8, 9 & 10 Dominus unum de duobus hircis, ab  
*Aharone* in sacrificium offerendis mactari prohibet, &  
vivum in deserta montis Azazel emittere jubet ad expi-  
andum peccatum. *Mitteretque Aharon, ait ibi Dominus,*  
*super duos illos hircos sortes, sortem unam pro Domino, sortem*

B

alte-



alteram pro Azazel, i. e. pro capro qui abducendus erat  
in montem Azazel sito in deserto prope montem Sinai.  
Offeret autem Aharon hircum super quem cecidit sors pro Do-  
mino, & faciet eum pro peccato; i. e. sacrificabit eum pro  
expiatione peccati. Offeret autem Aharon hircum super  
quem ceciderit sors pro Azazel, statuet vivum coram Do-  
mino ad emittendum illum in Azazel in desertum. Inde vero  
quod, Aharon duos hircos sacrificavit, quorum tamen  
unum non occidit, sed vivum in desertum in montem  
Azazel emisit, occisionem viventis ad verum & propri-  
um sacrificium haud requiri, deducere satagunt. Sed  
respondemus verbis Lyræ, qui rectè ad hunc locum an-  
notavit quæ subjungimus. Emittet, inquit, in terram so-  
litariam, ut ibi relinqueretur à feris devorandus, pro homini-  
bus morte dignis. Licet igitur Aharon unum hircum non  
mactaverit sed vivum in desertum emiserit, erat tamen  
à feris laniandus & veluti mactandus, ut etiam hoc sacri-  
ficium, hirco quantumvis vivo dimisso, nihilominus fue-  
rit cruentum.

XIII. De istis autem & similibus sacrificiorum ad-  
ditamentis & appendicibus, de quibus supra verba feci-  
mus, sermo nobis nunc non est, sed de Sacrificio vero  
propriè strictèque dicto, quod in formali ratione sacrifi-  
candi i. e. occidendi & mactandi actionem includat. Nem-  
pè eo ipso quod rō verum & proprium sacrificij vocabulo  
addimus, ab omni latiori significatione ad tales quæ  
essentialia sacrificij includat, restringimus. Ex hac tenus  
igitur dictis manifestum est sacrificium, quando pro acti-  
one sacrificandi & propriè strictèque dicto sacrificio ac-  
cipitur, juxta Scripturæ ductum definiendum esse quod  
sit hujusmodi *Actio, quā res viva & animata*  
*in*



in mortem tradatur & vita privetur. juxta  
institutionem & mandatum Dei, a ministro ad  
hanc rem destinato, sacerdote videlicet, ad ex-  
hibendum Deo cultum & obsequium. Hanc sa-  
crificij definitionem veris V. T. sacrificijs ex aſſe respon-  
dere existimamus, & ad hanc reliqua omnia applicanda,  
atque utrum veri nominis sacrificia dici mereantur, peri-  
culum faciendum.

XIV. Circumspiciendum nunc porrò erit,  
num temporibus Novi Testamenti Deo creatori co-  
li & terræ oblatum sit Sacrificium de quo & V. T. sacri-  
fiциis forma & ratio immolationis, per definitionem ex-  
pressa, univocè prædicari possit & De morte certè & Sa-  
crificio Christi Deo Patri in arâ crucis oblato, dubitari  
haud poterit, quin fuerit verum & propriè dictum Sacri-  
ficium, siquidem cuncta definitionis membra huic sa-  
crificio competunt. Primaria certè, & maximè conspi-  
cua actio per quam verum & proprium Sacrificium con-  
stituitur in esse Sacrificij, est illa ipsa, quâ *res viva & ani-*  
*mata in mortem traditur & vita privatur*. Hoc verò ipsum  
sanctissimæ victimæ Deo Patri in arâ crucis oblatæ obti-  
gisse, dubitare non poterit quisquis Scripturam Novi Te-  
stamenti admiserit, quippe quâ nullibi non hujus ma-  
tationis fit mentio. Filius Dei factus est obædiens ait Pau-  
lus ad Philip. 11, 8. usque ad mortem, mortem autem crucis:  
quam rem capite ad Ephes. v. 2 ita effert; Tradidit sementes  
ipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo. Atque Iohan-  
nes 111, 16 *Animam suam pro nobis posuisse* affirmat. Et  
Marcus xv, 28, ubi passionis historiam recitasset, imple-  
tam esse inquit Iesaiæ prophetiam quæ dicat tradidisse

animam suam in mortem sive profudisse seipsum in mortem;  
cap. LIII, 12.

XV. Factam verò esse hanc immolationem juxta institutionem & mandatum Dei, magis est evidens quam ut probari necessum sit. Deo quippe nolente aut invito mactatum ejus Agnum tantum abest, ut Deum ipsum cum pro nobis tradidisse affirmet Scriptura ad Rom. ix, 32. *Proprio filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Iudæi enim neque versutiā circumventum laqueis ve implicitum, neque vi, quam vel verbo confringere poterat, oppressum manibus sceleratis, cruci affixum interemerunt, definito consilio & præscientiā Dei traditum, Act. II, 23.

XVI. Præterea quum victimam offerre sive sacrificare præcipuus & proprius sit actus Sacerdotij, adeò ut ab alijs quam Sacerdotibus, præsertim post promulgatam legem Mosaicam, ritè Obiri nequeat, hinc talē quoque Ministrum, nempe *Sacerdotem*, in definitione requisivimus. Christum verò Servatorem nostrum munere functum Sacerdotali ipsa ejus verba cvincunt, quando Ioh. x, 18 *Ego, inquit, pono animam meam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Si ipse posuit animam suam non alias, ipse eam in victimam pro peccatis nostris obtulit. Quum autem is qui victimam offert Sacerdotali munere fungatur, hinc recte infertur, Christum semetipsum offerentem in victimam, sive ponentem animam suam, munere Sacerdotali functū. Nihil quoque impedit quod ipse non mactaverit, sufficit enim quod semetipsū ad mactandum applicuerit, & vel sic mactaverit. Non enim tantum causa alicujus rei est qui agit, sive qui agens applicat ad patiens, sed etiam is qui applicat patiens ad agens, & licet sibi ipsi violentas manus non inferat, sese tamen ad occiden-

cidendum offert, quum quovis momento elabi, & occidentibus omnem interimendi potestatem adimere valeat. In salvo igitur collocatur assertionis nostræ veritas, quod Christus Dominus & Servator noster sacerdotali munere functus, Pontifex sit atque Sacerdos. Quin imò quanto sacrificium quod obtulit dignius est, & quanto magis supra cuncta Sacrificia V. Testamenti eminet, tanto quoque excellentioris dignitatis & ordinis Sacerdos est & Pontifex, quam Aharon & Levitici Sacerdotes, quippe secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in aeternum. Hebr. v, 20.

XVII. Neque verò *αὐτοχείας* aut homicidij crimen in Servatorem devolvi poterit, quod ad occidendum semetipsum obtulerit, quum elabi nullo negotio potuerit. Is enim homicida demum est, qui non habens dominium in propria membra, vitæ suæ usque adeò est prodigus, ut temere eam tollendam exponat. Christus autem utpote Dominus vitæ habebat in propria membra potestatem vitæque dominium, adeoque eam in mortem tradens nullum commisit parricidium. Huic itaque objectioni ipse obviam ivit, quando loco supra citato non simpliciter dicit, *ego pono animam meam à me ipso;* sed notanter addit, *potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus adsumendi eam.* Idem dictum Photinianorum objectionis solutionem suppeditat, qui tollendæ satisfactionis Christi ergo, cum infinitâ Divinâ justitiâ pugnare urgent, Deum insontem voluisse occidi pro alienis peccatis. Quemadmodum enim magistratus civilis, dicunt, non possit è manu dimittere captivum ob scelera morti destinatum, etiamsi parens ejus ad mortem, quam filius promeritus erat, subeundam sese offerat; ita quoque Deum, etiamsi Christus ad mortem quam ho-

mines profleriti erant subeundam se se obtulerit, per infinitam suam justitiam insontem pro reis plectere non potuisse.

XIX. Ultimo requisito per quod Sacrificia offerri jubentur ad exhibendum Deo cultum & obsequium, distinguuntur legitima & Divina, ab illegitimis & diabolicis, atque restringuntur ad Sacrificia Deo grata & accepta. A Paganis quippe etiam Dæmonibus Sacrificia facta, atque in idololatricis aris non pecudes tantum, sed etiam homines interdum immolatos, tum veteres, tum novi Orbis historiographi tradunt. Quamvis enim ritus sacrificandi non à malo Spiritu sed per legem Divinam positivam fuerit introductus, diabolus tamen qui Divinorum operum solet esse æmulus, Divinumque cultum ad se se rapit, hoc egit, ut quod uni vero Deo competebat sibi conferri, ritusque populi Dei ad gentiles transferri faceret, atque supremi gradus Idololatriam fundaret.

XIX. Ex hisce igitur, nisi omnia me fallunt, liquet, Sacrificium Novi fœderis, quod Servator noster Deo Patri in arâ crucis obtulit, cum Sacrificijs V. Testamenti Leviticis in omnibus proprietatibus per quas Sacrificium in esse Sacrificij propriè dicti constituitur convenire, atque adeò esse verum & proprium Sacrificium. Circa quod tamen observari meretur, hoc ipsum quum immensi & infiniti precij sit atque valoris, & omnium sacrificiorum perfectissimum imò infinitè perfectum, iterationem, utpote imperfectionis argumentum, divinum Epistolæ ad Hebræos autorem, planè ab eo removere. Quin Apostolus ad Romanos vi, 9 disertè se scire, inquit, *Christum suscitatum è mortuis non amplius mori, mortem ei non amplius dominari.* Vel hinc igitur abunde constat, Sacrificium Christi, quod intrinsecè & in formalí suâ ratione



tione mortem inclusit, repeti non posse; Si enim *non amplius moritur*, nec *mors ei amplius dominatur*, qui poterit materia esse sacrificij talis quod in formalí suā ratione mortem & occisionem includit? Quare manifestum est non posse dari in Ecclesiā Sacrificium, quod cum Sacrificio in cruce oblato specie idem sit; vel tale, quale fuit illud; vel de quo & Sacrificio crucis univocē Sacrificium prædicetur, ita inquam, ut sacrificij propriè dicti vera formalis ratio utrique univoce insit.

XX. Ex ijs igitur facile fuerit redarguere ac refellere injuriam & contumeliam quā hoc sanctissimum & perfectissimum Saerifidum Pontificij adficiunt. Docent enim suum, quod Missæ Sacrificium vocant, & per Sacrificulos suos quotidie iterant, non minoris esse ponderis aut momenti, quam sit illud quod ab ipso Servatore in arā crucis peractum est, esse enim verè propiciatorium, & offerri non solum profideliū vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & alijs necessitatibus, sed etiam pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ut loquuntur Tridentini Sessione vi sub Julio iii cap. 1 & 2. Hoc inquam Sacrificium Deo, & què ac ipsius Christi Sacrificium, gratum & acceptum esse volunt, quia sit prorsus unum idemque, nullā aliā intercedente differentiā, quam in modo offrendi; nempè quòd olim ipse sese in cruce obtulerit cruentē, nunc verò idem in altari sese offerat per manus tamen Sacerdotum, & incruente. In hoc itaque modo offerendi diversitatem tantum esse. cætera omnia paria, ejusdem virtutis, precij & meriti. Sed hæc ipsa quæ à blasphemiam parum absunt, abundè refelluntur, cum ex ijs quæ de Sacrificijs Veteris Testamenti, tum quæ peculiariter de Christi sacrificio diximus.

XXI. Vocem Sacrificij multas & varias sustinere significat.



ficationes, & simpliciter prolatā posse intelligi tam de æ-  
quivocè & impropriè dictis Sacrificijs; quam de veris &  
proprijs occisionem animalis viventis includentibus,  
supra th. xi monuimus. Quod si igitur à propriâ & strictâ  
Sacrificij ratione abeamus, atque improprias latasque à  
convenientiâ quadam & denominatione extrinsecâ deri-  
vatas significaciones admittamus, haud facile quisquam  
dubitaverit S. Eucharistiae celebrationem sive Missam',  
certo quodam intuitu vel respectu Sacrificij nomine ve-  
nire posse. Tridentini itaque si dixissent in Missâ esse Sa-  
crificium, nequaquam nos haberent contradicentes. Pos-  
sent namque adhibita expositione elabi; nempè quod ibi  
adesse statuant Sacrificium improprium quidem, ta-  
men ita dictum, quod primi, in arâ crucis oblati, sit re-  
cordatio; sive quod præsens ibi sit ipsum illud corpus,  
quod olim mataria Sacrificij fuit. Sed rem reddiderunt  
difficiliorem quando addita limitatione, Missæ Sacri-  
ficium ab omni latiore significazione ad *verum & proprium*  
Sacrificium restrinxerunt. Voces enim restingentes (*ve-  
rum & proprium*) essentialia prædicati cui junguntur ne-  
cessariò involvere, infinitis probari potest exemplis. Sic  
licet vox hominis non tantum de vero homine prædicari  
possit, sed etiam de statua, figura & imagine; actutum ta-  
men additur quod sit *verus & propriè dictus homo*, certè  
non intelligi potest de alio quam tali cui essentialia homi-  
nis competant. Adeundem modum vox Sacrificij sim-  
pliciter proleta, verè prædicari potest de reali quâ, quæ  
non magis verum sit sacrificium, quam homo ligneus  
aut pictus verus homo: actutum verò vocabulo Sacrifi-  
cij rò *verum & proprium* addo, à latiore significacione re-  
stringo ad talem quæ essentialia Sacrificij includat. Nisi  
itaq; intelligam quid sit de Sacrificij essentiâ, sive per quæ  
defi-



definiatur, de nulla re, quod sit verum & proptium Sacrificium prædicare potero.

XXII. E quibus abundè constat Tridentinos Missam pro vero & proprio Sacrificio venditantes, alijsque ita credendi necessitatem imponentes, tenevi ad definiendum Sacrificium, & regulari definitione exponendum, quid per verum & proprium Sacrificium intellectum velint. Quam diu autem non definiunt, tam diu de Missâ quod sit verum & proprium Sacrificium non magis prædicare poterunt, quam de saxo, imaginem hominis imitante, quod sit verus homo, aut de sidere cælesti quod sit verus canis. Quemadmodum enim adhibita veri hominis & veri canis definitione manifestum redditur, neque saxam statuam verum esse hominem, neque sidus cælestis verum esse canem, ita quoque adhibita veri & proprij sacrificij definitione, manifestum fiet, Missam non esse verum & proprium sacrificium. Rei difficultatem agnovit & Tridentinos tantopere doctrinam hanc intricasse dolet Matthæus Galenus Cancellarius Duacensis & Professor Regius; cuius huc facientia verba leguntur Catechesi 134, & ita habent. Si Tridentini obscurissimam, definitionis sacrificii questionem illustrassent, adversariis & scholis orthodoxis melius consultum videretur. At nunc tantum abest, ut id sperare possimus factum, ut (si fas est dicere) simus deinceps iniquiore loco pugnaturi. Poteramus enim hactenus adversariis prescribere ex vocibus attributis nostro sacrificio, & Parum testimonis, vel uti Augustini definitione, vel postremo fateri, hoc nostrum sacrificium esse quidem impro prium, non tamen illud nomen male retinere, quum si primi illius sacrificij Christi imitatio, rectius fortè dixisset recordatio.

XXIII. Rei itaq; necessitas Cardinali Bellarmino definitionem quandam sacrificij extorsit. Quamvis verò ipse

C

per



per ambages incedat, & voces ambiguas & obscuritatibus involutas adhibeat, tandem tamen ad dicendum quod res est, & ipsum illud in quo formalis sacrificij ratio consistit exprimendum erumpit. Libro I de Missâ cap. II ista legitur definitio. *Sacrificium est oblatio extrema facta soli Deo, quâ ad agnitionem humanæ infirmitatis, & professionem Divinæ majestatis, à legitimo ministro, res aliqua sensibilis & permanens ritu mystico consecratur & transmutatur.* Ultimam hanc vocem, utpote aliquanto obscuricrem, hisce, quæ addimus, exponit. *Ad uerum, inquit, sacrificium requiritur, ut id, quod offertur Deo in sacrificium, plane destruatur, i.e. ita mutetur, ut desinet esse id quod antea erat.* Et ubi dixisset, sacrificium esse summam protestationem subjectionis nostræ ad Deum, summam istam protestationem requiriere addit, *ut non solum usus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia: & ideo non solum usus, sed ipsa substantia consumatur.* Paulo ante eodem capite dixerat; *Omnia omnino quæ in scripturâ dicuntur sacrificia, necessariò destruenda erant; si viventia per occisionem; si inanima solidâ, ut simila, & sal, & rhus, per combustionem; si liquida, ut sanguis, vinum, & aqua, per effusionem,* Levit. I & II. Accedit quod cap. XXVII, *Verum & reale sacrificium, veram & realem mortem, aut destructionem rei immolatae desiderare non diffitetur.*

XXIV. Ista Bellarmini quomodo cum Concilio Tridentino conciliari queant, viderint quorum interest. Posita nempe cā definitione, falsum fuerit quod dicit Concilium, in Missâ esse verum & proprium sacrificium. In Eucharistiâ enim corpus Christi quod offertur non desinit esse id quod antè erat; substantia ejus non consumitur; non est ibi, viventis per occisionem destructio; non est, realis mors aut destructione rei immolatae. Qui itaque Bellarmini definitionem male cum Tridentinorum decreto convenire, & sententias u-

trorum-

frorumque sese invicem confodere intelligunt, verba Bel-  
larminis sub lata quidem vellent, quæ tamen delere quum  
non possint, alijs ejusdem verbis horum moliuntur expli-  
cationem. Citant scilicet quæ leguntur libro i de Missâ  
cap. xxv ubi ad argumentum Calvinii ab occidente hostiæ  
petitum respondet, *Sacrificium Missæ esse verissimum sacrifici-  
um, & tamen non exigere veram hostiæ occasionem.* Verum hi  
scc Bellarminus supra allata non exponit, sed iis contra-  
dicit. Contradictionem enim involventia profert, qui o-  
mnia omnino quæ in scriptura dicuntur sacrificia, si viventia per  
occisionem necessariò destruenda esse docet, nihilo tamen mi-  
nus non exigere veram hostiæ occasionem contendit.

XXV. Pontificij igitur Doctores ad Romanæ Eccle-  
siæ autoritatem tanquam ad sacram anchoram confugi-  
unt, quâ fascinati, fide implicitâ, quæ mera ignorantia est,  
in Missâ id adesse credunt, cuius definitionem ignorant,  
& aliquam dari posse haud admittunt. Sed si de subjecto  
affirmare licet quod talè vel talè sit secundum prædicati  
essentiam, ita tamen ut in medio vel dubio relinquatur  
in quanam re prædicati essentia sita sit, via strata erit, quâ,  
ad muniendos errores fundamenta evertentes, rectâ ea-  
tur. Quid enim prohibebit prædicare Socinianos de Chri-  
sto quod sit verus Deus, & nihilominus commentâ Divi-  
nam essentiam tollente definitione, eosdem reapse nega-  
re quod sit verus Deus ? Et quis vitio vertere poterit Re-  
formatis, realem Christi in S. Eucharistiâ præsentiam eos  
afferere, quæ tamē si definienda fuerit, non realis sed inten-  
tionalis erit sive notionalis ? Quæstiones igitur, utrum  
Christus sit verus Deus ? item an corpus & sanguis Christi  
realiter sit præsens in Eucharistia ? & num Missa sit sacri-  
cium verè proprieque dictum, solvi haud poterunt, nisi de  
veri Dei, dæcalis præsentiaz, & veri ac proprij sacrificij

ratione prius constet, atque circa definitionem inter par-  
tes conveniat.

XXVI. Quæ licet ita, quemadmodum diximus, sese  
habeant, nullum tamen non movent lapidem Pontificij,  
facientem ad asserendum illud sacrificium, & quidem se-  
cundum ipsum illud, quod impervestigabile esse profiten-  
tur. Quamvis verò omnes hoc saxum volvunt, unum ta-  
men audivisse sufficiat. Sit itaque nobis instar omnium  
unus Beccanus, qui Manualis libro primo cap. x. quinque ar-  
gumentis Pontificium Missæ Sacrificium munere satagit.  
*Adversarii*, inquit, qui rem ipsam negare non audent, suo more de  
nomine altercantur. Concedunt celebrationem Eucharistia; ne-  
gant propriè esse Sacrificium. Nos affirmamus. Sententia nostra  
variis modis probari potest. Primo ex typis seu figuris V. Testa-  
menti. Secundo ex vaticinio Malachia. Tertio ex colloquio Chri-  
sti cum Samaritanâ. Quarto ex Apostolo Paulo. Quinto ex con-  
sensu SS. Patrum. Primū argumentum petitum à typo Mel-  
chisedechi, qui obtulerit panem & vinū, & fuerit hoc ipso  
typus Christi, ne quicquam juvare poterit Pontificios, nisi  
prius probaverint, in ipso typo fuisse sacrificiū propriè di-  
ctū. Hoc verò ipsum Beccanus inde probare conatur, quod  
textui inserta sit causalis ENIM. Quod scilicet Melchise-  
dech protulerit panem & vinum in usum Sacrificij, mani-  
feste patere, inquit, è scripturâ. Cum enim dixisset panem & vi-  
num prorulit; mox adiecit; Erat ENIM Sacerdos Dei altissimi: Vo-  
lens significare, Melchisedech, non ut Regem, sed ut Sacerdotem pro-  
tulisse panem & vinum: ac proinde non protulisse ad refocillan-  
dos milites ex prælio redeentes, quippe qui jam erant refocillati  
ex prædâ, quam hosti abstulerant (Gen. xiv, 24.) sed protulisse in  
usum sacrificii, & in gratiarum actionem pro parte victoria. Ve-  
rūm observandum rō ENIM, unicum Beccani præsidium,  
in fontibus non extare, sed versioni veteri, quæ vulgata  
dicitur,



dicitur, irrepsisse. Notavit hoc B. Lutherus noster Commentario ad Genesios cap. XIV. A simplici, ait, scientia quum discedunt Papista, & de suo sacrificio, quod privatum & non publicum est, confirmingando & exiruendo cogitant, etiam textum impudenter depravant. Inserunt enim hic causalem qua tamen in textu non est. Sic enim legunt. Melchisedech Rex salem protulit panem & vinum erat ENIM Sacerdos Dei altissimi, ut scilicet stet argumentum, quia fuit Sacerdos, igitur quum panem & vinum protulit sacrificavit. Sed permittamus hoc eis quid inde? quid hoc ad Christum, qui panem & vinum non obtulit sed distribuit discipulis? Quid ad Ecclesiam, quae Christi exemplo panem & vinum non offert, sed distribuit credentibus? Imo quid ad te ô sacrificule, num tu panem & vinum offers? si haec facis quia magni facis? sin, ut somnias, offers corpus & sanguinem Christi, quid hoc ad Melchisedechi sacrificium? An non aperies tandem oculos, & veritatem disces? Num tu offeres corpus & sanguinem Christi? Nam hoc ipse Christus fecit.

XXVII. Alterum pro sacrificio propriè dicto argumentum petit Becanus è Malachiæ 1, 10, ubi Malachias prædictit fore, ut in Novo T. offeratur Deo mundum sacrificium in omniloco, quod præferendum sit sacrificiis Moysiacis, quæ sæpè erant immunda. In omni loco, inquit, sacrificatur nomini meo oblatio munda. Ad ista Becanus, Quæ vero est, dicit, oblatio munda, quæ in Novo T. ubique Deo offertur & sacrificatur? Catholici cum antiquis Paribus dicunt esse corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini. Negare quidem non possumus nonnullos Patres hoc Malachiæ vaticinium ad S. Eucharistiam accommodasse, sed litera nihil tale sonat. Paulus ad Romanos scribens, capite xv, 16 explicat de prædicatione Evangelij & conversione Gentium: Sacrificans, inquit, Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta sanctificata per Spiritum sanctum. Tertullianus per hoc

sacrificium munieris sive oblationis mundæ ; spiritualia sacrificia, laudis, gratiarum actionis & precum intelligit. In quam etiam sententiam Iudeorum interpretem Ionatanem Vzielidis inclinare, Chaldaica ejus testatur paraphasis, quæ ita habet : *In omni tempore, quo vos feceritis voluntatem meam, ego acceptato precationes vestras; & nomen meum magnum sanctificabitur per vos; & precationes vestrae erunt sicut holocaustum purum coram ne quoniam magnum est nomen meum inter populos.*

XXIX. Tertium argumentum petit Becanus ex colloquio Christi cum Samaritanâ. Sed in ipso textu ne *ye* quidem de Sacrificio, non enim de eo sed de adoratione verba fiunt, & ita habent : *Dicit ei mulier : Domine video quia Propheta es tu. Pares nostri in monte hoc adoraverunt & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet. Dicit ei Iesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis : nos adoramus quod scimus; quia salus ex Iudeis est. Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Becano *Adorare idem hic est quod sacrificare.* Nomen adorationis, inquit, non sumitur pro simplici adoratione, quæ poterat ubique fieri, sed pro sacrificio, quod non poterat ubique offerri, sed apud Samaritanos offerebatur in monte Garizim, prope oppidum Sichimorum, apud Iudeas, in templo Hierosolymitano. Sed nimis est frivolum quod persuadere conatur Becanus *Adorare idem hic esse quod sacrificare.* Argumentum igitur hoc operosâ responsione dignum haud judicamus.

XXIX. Quartum argumentum Apostolo Paulo extorquet Becanus, qui i Corinth. x, 15 mensæ Domini & mensæ dæmoniorum mentionem facit. Ex isto autem Apostoli discursu patere existimat, non minus apud Christianos, quam

quām apud Iudeos & gentiles esse altare, sacrificium & particio-  
panes de sacrificio. Hoc igitur videtur velle Beccanus, quod  
sicut mensa dæmoniorum significet altare, ita mensam Do-  
mini etiam significare altare, ubi autem sit altare ibi etiā  
esse sacrificium. Sed per mensam dæmoniorum ibi non  
intelligitur altare, sed mensa genialis, ad quam Pagani  
post peractum sacrificium epulabantur. Deinde non se-  
quitur ubi est altare ibi quoque est sacrificium propriè di-  
ctum. Testantur hoc ipsum Rubenitæ apud Iosuam cap.  
xxii, 26 & 28; *Age extiruamus nunc nobis altare, non pro holocau-*  
*sto neque pro sacrificio.* Et rursus versu 28; *Ecce altare Domini*  
*quod fecerunt patres nostri, non ut ibi sacrificent holocausta, aut*  
*sacrificia, sed ut esset testis inter nos & inter vos.*

XXX. Quinto denique Patres eorumque autorita-  
tem in subsidium vocat. *Antiqui Patres, inquit, tam disertè*  
*& clarè loquuntur de Sacrificio Eucharistie, in quo Christus sub*  
*specie panis & vini quotidie offertur in Ecclesiâ, ut nemo, qui illos*  
*aspercerit, de ipsorum sententiâ dubitare possit.* Ostendit verò  
illud quinque modis, qui si expendantur facile colligitur,  
veteres quibus celebrationem Eucharistie Sacrificij vo-  
cabulo significare visum, & hostiæ, victimæ, altaris, sacer-  
dotum, immolandi & offerendi voce, sacrificio propriè  
dicto convenientes, adhibere placuit, Pontificios in erro-  
rem induxisse.

XXI. Verū ista è Vet. Testamento de promta &  
Novi ritibus accommodata vocabula, si in significatu quo  
prisci adhibuerunt relinquuntur, Pontificiorum senten-  
tiæ certè non favent, neque ad stabiliendum propriè di-  
ctum Missæ sacrificium quicquam conferunt. Visum sci-  
licet illis, Veteris Testamenti phrases ad Novū transferre,  
prōpter conventiam aliquā que inter rem ipsam  
ejusq; typum atque figuram deprehenditur. Sacri-



cij igitur vocem mactationibus & immolationibus Ver.  
Test. propriam Eucharistiæ celebrationi haud inconve-  
nienter accommodarunt, tūm quod ibi *præsens* sit id  
*quod olim materia fuit sacrificii*, sive corpus & san-  
guis Christi, quæ ipse pro nobis sacrificium Deo Patri in  
arâ crucis obtulit; tūm quod Eucharistia, utpote sacra-  
mentum & actio à Christo instituta sit *Dei cultus* ipsi  
gratus & acceptus & propterea referatur inter *Sacrificia*  
*Spiritualia sive figurata dicta*, qualia cultus pie-  
pietatisque officia, sacrificia passim in Scripturâ Sacrâ ap-  
pellantur. Hinc David *spiritum contritum Dei sacrificium*  
appellat Psalmo L, 19, & Psal. L, 14. *Sacrificium laudis Deo sa-*  
*cificare jubet.* Et in celebratione Eucharistiæ mortem  
Domini commemorantes, sacrificium laudis & gratia-  
rum actionis Deo offerre rectè dicuntur. Hæc laudissa-  
crifia *vitulos labiorum* Hoseas XIV, 2, & autor Epistolæ ad  
Hebræos *fructum labiorum* XIII, 15, appellat. Vocabulum  
igitur figuratè sumtum latius patet quam ut veris proprie-  
tate dictis sacrificijs tantum competat, & nihil impedit quo  
minus etiam alijs rebus quæ propriè sacrificia non sunt  
accommodetur. Ita *mors martyrum* etiamsi non  
fuerit propriè stricteque dictum sacrificium, tale qualia fu-  
erunt Veteris Testamenti sacrificia, & illud quod Christus  
in cruce obtulit, nihilominus tamen quia pro afferenda fi-  
dei veritate sanguinis vitæq; fuere prodigi usque ad mor-  
tem, vocabulo latius extenso, sacrificij nomine venere  
potest.

XXXII. Idem judicium esto de voce *HOSTIÆ &*  
*victimæ*, quæ materiam sive objectum circa quod sacri-  
ficij denotat, & in strictiore significatione rem vivam &  
animatam sive animal quod mactatur significat, in latiore  
verò

verò accepta ad alias quoque res extenditur. Ad beneficē-  
tiam & communicationem quidem in Epistolā ad Hebreos,  
quā talibus victimis Deum delectari legimus: & ad corpora  
fidelium, quando S. Paulus eos hortatur ut ea s̄istant hosti-  
am vivam, sanctam placentem Deo Rom. xi, 1.

XXXII. Si igitur à propriâ & strictâ sacrificij ra-  
tione deflectamus & ad improprias, latas, ab aliquâ a-  
nalogiâ, convenientiâ, allusione vel extrinsecâ deno-  
minatione derivatas acceptancees respiciamus, intuitu  
istarum Missarum sacrificium appellari posse, vix quisquam  
in dubium vocabit. Inter omnes autem modos quibus  
Missa impropriè sacrificium appellari posse admittit & sin-  
gulos ordine recenset beatus Paren⁹ meus Disput. primâ  
de Sacrificio Christi, eminet, & ad propriè dictum proxi-  
mè accedere videtur qui distinctioni inter *formale* &  
*materiale* sacrificium innititur. Si *formaliter* enim,  
pro ipsâ sacrificandi actione accipiatur sacrificium, Missâ  
nihil omnino habet commune cum sacrificio propriè di-  
cto in arâ crucis à Servatore nostro Deo patri pro expia-  
tione peccatorum totius mundi oblato; Si *materialiter*  
verò accipiatur, adest ipsum illud numero idem sacrifici-  
um quod in cruce olim immolatum est. Verba huc faci-  
entia citatæ Disputationis numero 48 ita habent: *Quoniam*  
*in Sanctâ Eucharistiâ præsens est & accipitur corpus ac sanguis*  
*Domini; præsens quoque est & accipitur id ipsum, quod olim in*  
*cruce sacrificium fuit: nempe idem corpus, quod pro nobis in mor-  
tem traditum, & idem sanguis, qui pro nobis in remissionem pecca-  
torum effusus. Ergo si sacrificium materialiter capimus, est in Eu-  
charistiâ idem numero sacrificium, quod fuit in cruce, sive res &*  
*substantia prorsus eadem; eadem in quam victima sive hostia. Hinc*  
*de Monica matre suâ beatus Augustinus IX Confessionum, cap. XIII:*

D

Memo-



Memoriam sui ad altare tuum Deus fieri desideravit, unde sciret dispensari victimam, quâ deletum est chirographū, quod erat contrarium nobis; quâ triumphatus est hostis computans delicta nostra. Tractatu cxix in Iohannem docet signum crucis adhiberi frontibus credentium, quin & quæquâ regenerantur, oleo quo unguntur, Sacrificio quo aluntur. Si vero sacrificium accipimus formaliter, sive pro actione sacrificandi; cum etiam si victimâ sit numero eadem, actio tamen ipsa, sive oblatio & immolatio quæ sit in Eucharistiâ, cum oblatione & immolatione, quæ in cruce peracta fuit, nec specie nec genere convenit: neque enim datur forma vel ratio oblationis aut immolationis, quæ de istâ & de illâ univocè prædicari possit.

XXXIV. Materialiter igitur acceptum sacrificium, illud quod in mensâ Dominicâ offertur, cum eo quod in crucë oblatum fuit numero idem est, cujus tamen formam si respicias non est idem sed planè diversum & alterius generis. Quandocunque autem quæro *quid res secundum esse sui veritatem sit?* tunc in ejus rei essentiam inquiero: esse verò rei, quum neque det materia, neque finis, sed sola forma, quærenti non satisfacit, qui exponit quid res vel ratione materiæ sit, vel ratione finis, sed qui formam ejus exprimit. Quapropter verum hominem quando dicimus formalem rationem hominis attendimus non materialem aut finalem. Ad eundem etiam modum, verum sacrificium quando dicimus, neque materialem neque finalem sed formalem sacrificij rationem attendimus. Licet itaque Christiana Missa cum crucis sacrificio & ratione materiæ & ratione finis omnino idem sit, quum tamen, formalem rationem si species, discrepet, non erit verum sacrificium, nec propriè sed impropriè, propter aliam & extrinsecam quandam denominationem ita dictum.

XXXV. Nihil etiam juvat Pontificios quod primi-  
tivæ

tivæ Ecclesiæ Patres, non ita accuratè Philosophati, propter convenientiam quandam tò verum prædicarunt de re aliquâ, in formali ratione cum ipsâ illâ, quæ esse dicitur, non conveniente. Ita S. Augustinus verum sacrifici- X. De C.  
um esse dicit omne opus quod agitur ut sanctâ societate inhare. Dei.c.vi.  
amus Deo, sive de tali opere prædicat quod sit sacrificium imò verum sacrificium, licet ipsum illud opus quod in Dei cultum & honorem præstatur, cum vero sacrificio, quale esse dicitur, non in formali sed finali saltem ratione conveniat. Idem ad eundem modum perfectum jejunium vocat, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus seculi. Tra&t.xvii  
Eandem à vitiis immunitatem, continentiam linguæ, itæ in Iohan.  
cohibitionem; concupiscentiæ, obtrestationis, mendacij, perjurii abstinentiam Basilius M. priore & posteriore de lejuniō sermone verum jejunium vocat, licet veri proprieque dicti jejunii formalis ratio in omnibus illis nulla appareat, sed propter finem, qui est Deum propitium habere, dicitur verum jejunium i. e. Deo gratum & acceptum. Quasi diceret: qui jejunant ut fundendis precibus sint aptiores, cultum Deo gratum & acceptum præstant Deumque propitium habent: qui abstinent à vitiis & peccatis modo commemoratis, cultum Deo gratum & acceptum præstant, Deumque propitium habent. Finem igitur si species abstinere à peccatis est verè tale opus quale est jejunium, & hinc, quod finem eundem quem jejunium, obtinet, verum dicitur jejunium. Nec ob ali. am rationem nonnulli prisci Patres Christianam Missam sacrificium imò verum sacrificium appellarunt, quam quod sit sacrum opus in Dei honorem præstitam, & hac fini factum ut Deum expiemus eumque propitium habeamus, vel ut Augustini verbis utamur, sanctâ societate inhareamus Deo, significaturi scilicet quod Missa sit ritus sen.

D 2

sibi-



sibilis non minus Deo gratius & acceptus, nec minus Deum propitium reddens aut expians, atque sensibilia Veteris Pacti sacrificia; quod, quemadmodum in V. Testamento è victimis oblatis in sacerdotum & pauperum usum aliquid cedebat, ita etiam in Missâ offerri soleant quæcedant in usum ministrorum Ecclesiæ & pauperum, qualia ipsius Scripturæ phrasî victimæ Deo gratae appellantur; item quod in Missâ Deo offerantur sacrificia laudis Psalm. 14. & ad Hebr. XIII 1, 16, vituli labiorum Hoseæ XIV, 3; quod per has ipsas preces offeratur Patri cœlesti suus Filius, ejusque passio, mors & meritum. Propter has inquam, & nullas alias rationes Missam apud veteres sacrificij nomine venire. Quod si enim attendas formalem rationem in hoc positam, ut res animata quæ Deo offeratur, destruatur & exanimetur, non est verum nec propriè sed impropriè & per extrinsecam denominationem dictum sacrificium.

XXXVI. Sed hic ogganiunt Pontificij, iniquos nos esse doctrinæ SS. Patrum censores qui pertinaciter adeò expressam r̄s proprii mentionem ab ijs exigamus. Sufficere quippe celebrationem S. Eucharistiae haberi & dici antiquitus Sacrificium, licet non addatur quod sit propriè tale. Objecit igitur Vir quidam Nobilissimus, cui libellum sub titulo Nubis Lucidae editum debemus, beato Parenti meo; *Hac ratione*, (nempe si nihil tale, quale esse prædicatur, in rei veritate esse agnoscamus, nisi ubivis vox proprij addatur,) posse cuicunque libuerit, evertere omnia mysteria quæ ex fide credenda sunt, de creatione mundi, de redemptione & meritis Christi, de justificatione nostrâ, & quibusunque aliis obtendendo non addi vocem propriè, eò ferè modo, quo Ariani olim concedebant filium Dei esse quidem virtutem Patris, I. Cor. 1, sed non propriam; hanc enim vocem non addi à S. Paulo. Sed



Sed oppidò fallitur bonus vir, quando persuasus est, idèo  
nos nō admittere quod primitivæ Ecclesiæ Patres in Missâ  
proprium sacrificium adesse crediderint, quia tò propriū non  
addiderint: longè enim alia ratio in promptu nobis est, nem-  
pè, tùm quod ipsa rei natura, proprium Sacrificium quod  
specie idem sit cum Sacrificio in cruce peracto, intelligi  
non permittat, tùm quod Sancti Patres quibus vox Sacri-  
ficij usitata & familiaris, non tantum à voce proprij abstine-  
ant, sed talia suppeditent quæ non permittant existimare  
ipsos verum & proprium sacrificium h̄ic credidisse. Qua-  
re huc malè quadrare videtur allatum è i Cor. 1, exem-  
plum, etiam si enim Paulus de Christo prædicans quod sit  
*Dei virtus & Dei sapientia*, non addat esse propriam sive pro-  
priè dictam, qualem tamen virtutem & sapientiam intel-  
lectam velit, infinitis alijs locis exponit. Non enim pu-  
gnat cum rei naturâ unigenitum à Deo Patre, virtute & sa-  
pientiâ pollere quæ sit secundum essentiam eadem cum  
virtute & sapientiâ illius cuius est Filius. Quod si itaque  
ad eundem modum è SS. Patrum scriptis probare possent  
Pontificij, quod per vocem Sacrificij Missæ applicatam, in-  
tellectum velint Sacrificium in essentialibus requisitis  
cum Sacrificio in cruce oblato conveniens, haud potiori  
jure nobis Patrum de Missa encomium ad sensum impro-  
prium restringere licet, atque Arianis licet *virtutem Pa-*  
*tris de Filio Dei* à Paulo prædicatam, in sensum impropri-  
um rapere, & de virtute quæ secundum essentiam non sit  
eadem cum virtute Patris interpretari. Quemadmo-  
dum igitur sidus cœleste, quod Ursæ majoris minorisve  
nomine venit, non idèo veram & propriè dictam ursam  
esse negamus, quia astronomi vocem propriam non addi-  
derunt, sed quod per ipsam rei naturam vera & propriè  
dicta ursa intelligi nequeat, neque astronomi ullibi talem  
ursam

ursam intellectam velint; ita etiam Missam quæ Sacrificij nomine apud Patres venit, non ideo verum & propriè dictum Sacrificium esse negamus, quia Patres vocem proprij non addiderunt, sed quia ipsa rei natura non permittit ut verum & propriè dictum Sacrificium intelligatur, neq; Patres ullibi tale sacrificium intellectum velint.

XXXVII. Sed quid opus est multis, quum ipsa Autoris verba ad refellendam sententiam sufficientant. Si cui veritas cordi est, inquit, satis traditionis pro sacrificio proprio habebit à Patribus ex eo, quod dicant, Christum instituisse sacrificium Novi Testamenti OPPOSITVM sacrificijs Iudeorum quod nunc in toto mundo ubique terrarum offeratur &c. Optime! Si Novi Test. Sacrificium, quale nempe in Missâ peragitur, OPPOSITVM est Sacrificijs Iudeorum, qui esse poterit proprium & in formal i sacrificij ratione cum illis conveniens? Quodcunque enim Sacrificium propriè dictis sacrificijs opponitur illud non est propriè sed impropriè dictum. Sacrificium N.T. quale in Missâ peragitur, propriè dictis Sacrificijs opponitur. Ergò.

XXXIX. Tandem ut nihil dubij relinquatur, veteres Ecclesiæ Doctores in Missâ non credidisse verum & proprium sacrificium, adscribemus hanc in rem integrum locum beati Parentis, è Proœmio ad Augustini libros de D.C. & Vincentij Commonit.

Aegrè ferebant cum Iudei, tum gentiles, & Christianis obiciebant, quod non sacrificarent. Nemo veterum aliter responderet, quam sua sacrificia esse laudes, precēs, gratiarum actiones, exercitia pietatis & caritatis: alterius generis se nec offerre, nec Deum requirere. Litabilis est hostia, ait Minucius Felix, bonus animus & pura mens & sincera conscientia. Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat; qui justitiam, Deo libat; qui fraudibus abstinet, propitiat Deum; qui hominum peri-

periculo surripit, opimam victimam cædit. Hæc nostra sa-  
crificia, hæc Dei sacra sunt. Plurata testimonia adscribere, hic vix  
locus est. Visant qui volent & quibus copia est, Iustinū Apologiā  
II paullo post initium, & Dialogo cū Tryphone Iudæo post  
medium; Irenæum libro IV, c. xxxiv; Athenagoram in Apolo-  
giā, pag XVI editionis Stephani; Tertullianum ad Scapulā c.  
II, & adversus Iudæos cap. V; Clementem Alexandrinum libro  
VII Stromatum; Originem hom. XXIII in Numeros & libro  
IX contra Celsum, num. IV & VI; Cyprianum I contra Iudæ-  
os, c. XVI; Arnobium libro. VII in initio; Lactantium Institutio-  
num libro VI, c. XXV & XXVI, Epitomes c. II & VII; Eusebium  
Demonstrationis Evangelicæ libro I, c. VI & X, & libro III, c.  
IV & V; Ambrosium epistolā XXIX; Augustinum libro XX con-  
tra Faustum, capitibus ultimis; Cyrillum libro IX & X contra  
Iulianum; Theodoretum Θεογνωτικῆς libro VII; Prudentium  
περὶ ἁγίων, in De Romano martyre; Fulgentium de fide ad  
Petrum cap. XIX: cuius postremi verba, quoniam paucis veram  
rationem sacrificij Christianorū, quale in sacro sanctâ Euchari-  
stiâ est, explicant, non parcant adscribere. Frimissimè tene, & nulla-  
tenus dubites, ipsum unigenitum Deum Verbum carnem factū,  
se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem sua-  
vitatis: cui cum Patre & Spiritu sancto à patriarchis, prophetis &  
sacerdotibus tempore Veteris testamenti animalia sacrificaban-  
tur; & cui nunc, id est, tempore Novi testamenti, cum Patre & Spi-  
ritu sancto, sacrificiū panis & vini in fide & caritate sancta ecclē-  
sia catholica per universum orbem terræ offerre non cessat. In il-  
lis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quā pro  
peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblatus, & sanguinis,  
quem erat effusurus in remissionē peccatorum nostrorū: in isto  
autem sacrificio gratiarum actio atq; commemoratione est carnis  
Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis ef-  
fudit. In illis ergo sacrificiis quid nobis esset donandum, figuratè  
significabatur: in hoc autē sacrificio, quid nobis jam donatū sit, e-  
videnter ostenditur. In illis sacrificijs prænunciabatur Filius Dei  
pro impiis occidendum: in hoc autem pro impiis annunciatur oc-  
cisor.

Æiens



**A**ternus æterni Patris Filius ; qui quum esset in  
formâ Dei, ipse se inanimavit formâ servi acceptâ,  
factus obediens usque ad mortem , imò usque ad mortem  
crucis , ipse faciat nos Sacrificii pro nobis peracti merito-  
rumque suorum participes , & eorum virtute deletis pec-  
catis nostris , gratiâque impetratâ , cœlestis regni hæ-  
redes.

---

**Q**uæ suo quondam Sophies Lycéo  
Ambulans præcepta dedit Magister  
Nôsse Te , *LENTZI* , benè jam probatum  
Ante dedisti,

Publicè porrò juvat experiri ,  
Ferre quid possint humeri , aut recusent  
Forte si poscat ratio tueri

Dogmata cœli.

Grator hos ausus , moneoque , pergas ,  
Quæ sacer Codex docet , imbibisse :  
Maximo Te ipsum labor is beabit ,  
Credito , fructu .

*Quod ipsum prætantiss. Dn. Respondenti  
ex animo apparetur*

**JACOBUS MÜLLER** , Stendali-  
ensis Marchicus.




155 443

(X2818417)

R

VDA



Farbkarte #13

B.I.G.	
Centimetres	8
Inches	3
1	1
2	2
3	3
4	4
5	5
6	6
7	7
8	8
9	9
10	10
11	11
12	12
13	13
14	14
15	15
16	16
17	17
18	18
19	19

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISPVATIO THEOLOGICA  
*DE*  
**SACRIFICIO N.T.**  
IN CRUCE PER-  
ACTO  
*QVAM*  
**A. D. O. M.**  
PRÆSIDE  
**FRIIDERICO VLRICO**  
**CALIXTO**  
S. Theol. D. ejusdemque in Acad. Juliâ  
Pub. & Ord. Prof.  
In Julco majore d. Martii,  
*publice disputandam*  
*Proponet*  
**SALOMON LENTZIUS**  
Burgensis Saxo.  
  
*HELMESTADII,*  
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT  
HENNINGVS MULLERVS  
Acad. Typographus  

---

*ANNO CIC ID C LXV.*

13

